

lent. Tum ostendit, quam uberes virtutis & laudis fructus colligantur ex odii, livoris, & iracundiae affectibus, quibus cum antea multum inservieris, mox errore cognito, rationi te totum tradas. Denique se ait, honestissimis caussis adductum in Sabellici funere perorasse, & nunc praedictum Exemplorum opus pro virili curasse, ut emendatum prodiret: Cuius editionem, moriens mibi ad se accersto, & gratam recordationem pietatis in se Michaelis Trivisani, Nicolai filii, qui sub eo non parvo tempore meruerat, quique opus hoc lituris plenum exscribendum curarat, commendavit: ut tam obstinatum, tam durum, tam denique ferreum esse putem neminem, quem suprema illa vox moribundi hominis, atque ideo ab omni suspicione immunis non emolliisset. Me certe adeo emolliit, ut nihil pro humanitatis jure negare homini praesertim jam morienti potuerim; majorem hoc facto laudem a bonis sperans, quam quicquid de me Amasni & Rabirii isti recentes attenden^s. Generosum id vereque christianum Egnatii officium in hominem, cum quo praesertim perpetuas exercuerat simultates, debuerat illi laudem citius quam reprehensionem conciliare: atqui non defuit a quo graviter incusaretur, quod typis volumen dedita opera tradiderit, a quo, ubi in publicum prodiisset, non parum esset ignominiae suo adversario inferendum. Verum ingenio erit nimis improbo quisquis obtrectatorum cavillationibus aures praebuerit potius quam veris Egnatii argumentis, qui anno ab obitu Sabellici commendatum opus in lucem emisit, ut verba illa ad calcem operis excusa declarant: Marci Antonii Sabellici decem Exemplorum libri finiunt. Joannes Bartholomeus fecit. Venetiis. M.D.VII. septembbris die XIX. Lauretano Principis anno sexto. in 4. Huic Lauretano Principi Egnatius idem opus epistola gravissima commendavit, & quae auctoris & operis ipsius laudibus referta est. Non ab re visum est, pauca ex eadem epistola huc transcribere, ut inde quisque intelligat, quae & auctor qui opus concinnarat, & Egnatius, qui curaverat imprimendum, de illo sentirent. Maxime vellem, ita hic exorditur, Princeps Serenissime, Dii immortales fecissent, ut Sabellicot tantum adhuc vitae superfuisset, vel ocii: quantum supremae huic instituti operis emendationi dare potuisse. Dignus enim vir ille fuit, qui lucis hac usura longiore frueretur, dum partum hunc Exemplorum suum, ultima illi foecura natum, in lucem ederet, quod non modo non affectus est vir de universa mortalitate, & praecipue de Rep. vestra scribendo optime meritus: sed quasi in ipso enixu (quo animi moerore non facile dixerim) fatis naturaeque concessit. Et sane haud scio: qua fuit Sabellicus ad perferendam adversam valitudinem constantia: plus ne ex affecto corpore doleret, an pro patrio affectu obversantem animo librorum orbitatem molestius ferret. Et paulo post: Nihil mirum, Sabellicum tam vehementer interitu imperfecti a se partus doluisse. quo sibi conscius erat, nihil a se aut majore studio, aut aciore cura, aut denique feliciore successu conscriptum. Multum ille certe studii cum in aliis, tum in his ipsis Enneadibus, quae ab inclinatione imperii Romani ad tuum usque felicissimum principatum deductae sunt adhibuit. Verum hoc in opere nescio quo passo elaboratum ab eo multo plus est. vel quod extremum hunc foecum, ut parentes liberos, quos affecta aetate gignunt, impensis diligenter: vel quod altera (a) hac nuncupatione se se tibi probare, & quasi ostentare vellet: vel quod pro sua in christianam religionem pietate in aliis multo maximam partem prophana sibi vendicasent: in hoc praeter multorum opinionem eleganter & breviter sacra, veluti in illustri posita monumento, legi possent. Ad haec ita quoque natura comparatum ferme esse solet, ut extrema

(a) Sabellicus alteram Enneadum partem Lauretano Duci nuncupaverat.